

## PRÆFATIO.

*cujusq; Planetæ adnotaverit: qui ad initium cujusq; mensis, literas præfixerit, indicanteis illi ne Septentrionales, an Meridionales; Ascendentes aut Descendentes forent: adde, & qui typis commiserit, edideritq; &c.*

Sed de Ephemeridibus dicere ut pergam, illi duo & triginta anni defierunt in annum M. D. VI. adeò proinde, ut cum cœperint. ab anno M. CCCC. LXXV. videatur Regiomontanus absolvisse duntaxat earũ impressionem, anno antecedente LXXIV. Sic verò loquor, quod præter iteratam Augustæ Editionem postremorum XV. annorum, videre, nisi paucos annos ex prima editione, in Codice lacero, apud eruditissimum optimumq; Hardyum, mihi non contigerit &c.

*Vidi & ego Exemplar hujus tituli:*

Johannis de Monte Regio, Ephemerides, ab An. 1488.  
ad 1506. per Erhardum Ratdolt Augustensem impressas.

De Almagesto Sethus Calvisius in Opere Chronologico  
post Nat. Christi Anno 1629, Edit. Francof.  
pag. 757. sequentia habet.

*Almagestum Ptolomæi, jussu Maimonis Regis Saracenorum in Babylone transfertur in linguam Arabicam, Anno Hegyræ 212. ut habetur in Almagesto Arabico apud Scaligerum, Postea Fridericus II. Imp. circa Annum 1230. ex Arabica lingua idem Almagestum, in Latinum sermonem transferri curavit, atq; ita priusquam Græca lingua Europæis nobis innotesceret, Astronomia Ptolomæi ab Arabibus petita fuit. Arabes autem primi ex Nabonassa, re fecerunt Nabuchodonosorem, qui error postea ad Alfonsoinos translatus.*

Catalogus Librorum à Regiomontano edendorum,  
videre est in prædicto Gassendo, pag. 362. 363. 364.

Idem pag. 364. Quo extremo articulo satis indicatur, esse debuisse Regiomontano mirabilem quandam rationem perficiendæ artis Typographicæ; quippe quæ tunc adhuc versaretur, quasi in cunis, tanquam non ante annum M. CCCC. XL. Argentorati

\*\*\* 2

Johanne